

TITULUS VII.

De Translatione Episcopi.

1. Ecclesiis jure canonum præficiuntur Prælati vel Electione vel Postulatione. Postulantur autem inter alios qui conjugio spirituali alicui Ecclesiæ conjuncti sunt, idest Episcopi. Scilicet per postulationem Episcopus ab una ad aliam Cathedralem Ecclesiam transfertur. Quare tractationem de postulatione Prælatorum excipit tractatus de translatione Episcoporum. Licet etiam sacerdos de canonicatu ad canonicatum, de parœcia ad parœciam transferri possit, tamen vocabulum *translatio* reservatum est in jure ad exprimendum transitum Episcopi de una ad aliam sedem, qui transitus definiri potest 'alicujus personæ de una ad aliam sedem seu Ecclesiam auctoritate superioris ex legitima causa facta mutatio' can. 34. c. 7. q. 1. Dicitur *mutatio*; nam cum unus Episcopus non possit duabus Ecclesiis ordinario jure præesse, vacat prior Ecclesia cum novæ Ecclesiæ gubernacula suscipit. Quare translatio duplicem complectitur terminum, a quo nempe et ad quem.

2. Additur *auctoritate superioris*. Nam inter Episcopum et Ecclesiam jus ecclesiasticum censet ortum fuisse vinculum spiritualis conjugii, quod solummodo per dispensationem superioris resolvi potest. Et merito. Si enim christianum Matrimonium repræsentat unionem Christi cum Ecclesia vinculo indissolubilis amoris firmatam, relatio inter Episcopum et suam Ecclesiam optime haberi potest ad instar spiritualis conjugii. Relatio enim hæc efficit ut Episcopus jure divino idest vice et nomine Christi sibi devinciat Ecclesiam suam particularem vinculo amoris spiritualis adeo firmi et efficacis ut Episcopus ceu bonus pastor animam suam dare debeat pro ovibus suis. Hinc Episcopus quoad particularem Ecclesiam suo modo repræsentat et perpetuam reddit cum effectu unionem Christi cum tota et universali sua Ecclesia. Dici ergo Episcopus potest sponsus Ecclesiæ suæ. Hinc qui proprio arbitrio translationem peragit, carebit utraque Ecclesia 'ut sic nec illis præsideat quos per superbiam sprexit, nec illis quos per avaritiam concupivit' c. 3. h. t. et *can. Si quis Episcopus caus. 7. q. 1.* Quinam vero erit superior? Ex integra doctrina tituli, solus est Romanus Pontifex qui translationes Episcoporum peragit. Translatio enim hæc inter causas majores computatur, quæ S. Sedi

reservantur. Id vero sive ex jure nativo ceu tradit c. 1. h. t. idest ex privilegio divo Petro a Domino concesso in plenitudine potestatis primatialis, sive ex jure reservationis, quo Romani Pontifices soli voluerunt translationes Episcoporum perficere. Competit vero Romano Pontifici translatio non solum Episcopi consecrati et actualiter Ecclesiam gubernantis, sed etiam Episcopi confirmati post Electionem cap. 1. et cap. 2. h. t.

3. Quæstio solvenda proponitur, quæ proprie instituti nostri rationem attingit. Innocentius III. in cap. 2. h. t. insistens in conceptu conjugii spiritualis inter Episcopum et Ecclesiam, ut probet Romanum Pontificem solummodo posse solvere Episcopum a vinculo prioris Ecclesiæ et ad aliam sedem transferre, comparisonem assumit a Matrimonio carnali cujus solutionem sibi Deus reservavit, et Romano Pontifici concessit, tanquam suo in terris Vicario; atque insuper adnotat fortius esse vinculum spirituale Episcopi cum Ecclesia, quam inter virum et mulierem; 'corporalia enim facilius destruuntur quam construuntur, spiritualia vero facilius construuntur quam destruantur'. Ex qua theoria hoc exurgit argumentum: Romanum nempe Pontificem qui solvit conjugium carnale, posse etiam solvere spirituale, et viceversa; immo si solvit spirituale a fortiori solvere posse carnale. Verum inde maxima oritur difficultas; nam idem Innocentius in cap. 4. h. t. urgens comparisonem conjugii spiritualis et carnalis, docet spirituale conjugium inchoari per electionem, ratum fieri per confirmationem, consummatum vero per consecrationem. Ex quo inferitur, quod scilicet vel Innocentius deneget Romano Pontifici jus episcopum consecratum in una Ecclesia ad aliam transferendi, quod falsum esset, et idem Innocentius affirmat in cap. 1. et in cap. 2.; vel quod a pari immo a fortiori Innocentius tribuat Romano Pontifici facultatem solvendi vinculum Matrimonii carnalis consummati, quod evangelicæ doctrinæ et ecclesiasticis institutis a diametro adversaretur.

4. Nonnulli ut Innocentium tueantur, dicunt Innocentium non loqui de vera paritate inter utrumque conjugium, sed comparationem et similitudinem solummodo exhibuisse. Jam vero similitudines non sunt nimium et ad minima quælibet urgendæ. Quare tenendam esse aiunt, doctrinam de potestate exclusiva Romani Pontificis circa jus translationis Episcoporum; quæ clarissime traditur, nec comparationi nimium esse insistendum. Verum licet in

comparationibus ea quæ accessoria sunt non attendantur, tamen ea quæ principaliora sunt, debent observari. Præcipuum vero comparationis elementum est virtus probationis et demonstrationis quæ ex similitudine eruitur. Videlicet similitudines sperni non possunt sed recipi et urgeri debent in eo in quo fundatur ipsa probatio veritatis alicujus desumpta ex similitudine. Jamvero in casu nostro demonstrationis virtus consistit præcipue in relationibus inter conjugium spirituale et conjugium carnale. Ergo hæ relationes super quibus innitur demonstratio, verificari debent ut sensus argumenti sit integer et efficax.

5. Quidam animadvertunt in Decretalibus pontificiis distingui partem dispositivam ab exornativa. Prior constituit proprie dictam dispositionem capitis et a legislatore procedens obtinet vim legis, exornativa autem ab extensoribus Capellanis plerumque posita, de substantia capitis non est. Quandoque rationes prorsus ridiculæ afferuntur. In casu autem comparatio ad partem exornativam pertinet; constituit enim rationem allatam ad probandam dispositionem juridicam ejusdem capitis. Quod si vero ratio probationis tribui debeat Innocentio, nec in hoc difficultas plus nimio urgenda est. Nam uti doctor privatus potuit in probatione veritatis errare, non erravit autem circa veritatem ipsam, idest circa Romani Pontificis potestatem quoad Episcoporum translationem. Verum neutrum admitti potest. Non primum; nam in specie nostra sermo non est de ratione incidentalis et ab extranea manu inducta, sed agitur de ratione quæ totum caput informat. Non secundum; quia ratio adducta a Pontifice pertinet ad ipsam doctrinam speculativam circa res prorsus spirituales. Non enim est sermo de aliqua physica aut mathematica theoria, sed agitur de theoria prorsus theologica ac sacra. Quare indifferens non est præsens materia, ita ut error Romani Pontificis informans juridicam et publicam decisionem non læderet ejus infallibile magisterium.

6. Ut quæstio rite solvatur, quoniam eadem versatur circa virtutem vinculi spiritualis et carnalis conjugii, videndum est in quo reapse ab Innocentio comparatio instituatur, cum dicit spirituale vinculum esse fortius carnali. Jamvero ipse non de vinculo Matrimonii carnalis consummati loquitur, sed solummodo de vinculo Matrimonii rati. Idest totam vim quam habere potest vinculum et conjugium spirituale, Innocentius æquiparat efficaciam

Matrimonii carnalis tantum rati. Et sane in c. 2. h. t. quæstio non erat de translatione Episcopi confirmati et consecrati, sed de translatione Episcopi electi solum et confirmati. Quidam arbitrantur hunc electum et confirmatum pro Ecclesia Abricensi potuisse transferri absque auctoritate Romani Pontificis in Ecclesiam Andegavensem. Et ratio erat, quia Episcopus ille non fuerat consecratus in Episcopum Abricensem. Huic opinioni obstat Romanus Pontifex, et duo probare voluit 1º. vinculum spiritualis conjugii solvi non posse nisi auctoritate summi Pontificis, cui in persona Petri data est facultas solvendi Matrimonium carnale, et matrimonium spirituale. 2º. Probavit conjugium spirituale inter Episcopum et Ecclesiam omnem suam firmitatem ex confirmatione habere, nec consequi majorem vim et efficaciam ex consecratione. Nam, ut ait Pontifex, dignitas episcopalis nihil addit vinculo, quod probat exemplo Episcoporum, qui consecrationis caractere muniti, nulli Ecclesiæ conjuncti sunt vinculo spirituali, quemadmodum sunt qui episcopatu renuntiaverunt. Quibus positus, exhibeatur comparatio quæ legitur in c. 4. h. t. inter diversos gradus et status Matrimonii carnalis et spiritualis; et ex doctrina summi Pontificis Innocentii III. in c. 2. h. t. hæc erit consequentia, ut scilicet quoad vinculum spirituale tota vis quæ adesse possit, consistat in secundo statu, nempe in statu confirmationis, ac proinde in statu Matrimonii rati; et licet consummatio Matrimonio carnali omnimodam tribuat indissolubilitatem, consecratio conjugio spirituali novam non tribuat virtutem. Ergo quoad vinculi robur et firmitatem comparatio instituatur ab Innocentio solummodo inter conjugium spirituale et Matrimonium carnale ratum; quod vinculum Matrimonii rati solvit solummodo Romanus Pontifex et non cæteri Episcopi aut Archiepiscopi etc. ex potestate divinitus illi concessa. Ex quo sequitur solutionem vinculi conjugii spiritualis ad Romanum Pontificem tantummodo pertinere. Optime autem explicatur cur vinculum conjugii spiritualis fortius sit vinculo Matrimonii carnalis rati. Auctores plura capita afferunt præeminentiæ valoris Matrimonii spiritualis præ conjugio carnali rato. Ex gr. Matrimonium carnale ratum utique solvitur si unus ex contrahentibus professionem religiosam emittat, et quidem etiamsi alter ex contrahentibus sit invitus; e converso conjugium spirituale nulla prorsus ratione solvitur nisi accedente auctoritate Romani Pontificis; et Episcopus proprio arbitrio Ecclesiam suam deserere non

potest nec ingredi Religionem *cap. 10. De Renunciatione*; quod certe fortius vinculum indicat conjugii spiritualis, quam non sit vinculum Matrimonii carnalis rati.

7. In definitione translationis diximus eam fieri ex legitima causa. Etenim in Ecclesia stationes quodammodo positæ sunt, ac distincta cuique ministro sedes ministerii sui, a qua recedere non potest nisi legitima detur ratio. Quod a fortiori verificari debet in mutatione Episcoporum ob vinculum spirituale quod constituit Episcopum sponsum Ecclesiæ suæ. Causæ autem sunt necessitas vel utilitas ex can. 34. et can. 35. c. 7. q. 1. 'mutationes Episcoporum scitote communi utilitate atque necessitate fieri licere . . . alia est enim causa utilitatis et necessitatis, alia avaritiæ ac præsumptionis, aut propriæ voluntatis'. Porro necessitas verificatur quoties Episcopus ob persecutionem hostilem vel ob odium malæ plebis, vel ob adversam valetudinem ex aeris adversitate proveniente diu non potest in sua sede prout decet commorari. De Episcopo hostiliter vexato agunt can. 42. et 44. c. 7. q. 1. In c. 44. traditur ratione hostilitatis non solum transferri posse Episcopum, sed etiam ipsam sedem. Secunda causa est utilitas, quæ locum obtinet quoties ex translatione major fructus, idest bonum spirituale speretur vel pro universali vel pro particulari Ecclesia. Hic fructus ex. gr. adesset si bonum pacis et concordie sperari posset, si concorditer electores postularent in prælatum alterius Ecclesiæ Episcopum.

8. Posita legitima causa translationis, quia nempe translatio esset vel necessaria, vel evidenter utilis, possetne summ. Pontifex invitum transferre? In *Clem. 1. §. fin. Ut lite pend.* Romano Pontifici tribuitur plena et libera dispositio ex suæ plenitudine potestatis omnium Ecclesiarum et Beneficiorum ecclesiasticorum. Ex quo sequitur Rom. Pontificem posse obligare Episcopum ut suam sedem relinquat, et aliam gubernandam assumat Ecclesiam. Quod si obstiterit pertinaciter Episcopus, obstinatio reputatur causa sufficiens ut ei subtrahatur Episcopatus in sua Ecclesia et solvatur vinculum spirituale cum ipsa; *glossa in can. Omnis c. 7. q. 1.* Sed omnino invitum non potest ad aliam Ecclesiam assumi ita ut novum conjugium spirituale cum eadem contrahat; *glossa in can. Episcopus c. 7. q. 1.* Translatio autem coacta nunquam præsumitur nisi probetur, idest non præsumitur generatim

Rom. Pontificem velle Episcopum transferre ad aliam Ecclesiam præter vel contra ejus voluntatem.

9. Præter causam in translatione servatur etiam ordo. Hinc ordinaria translatio fit a minori ad majorem sedem, et major parvificari non debet, ceu docet c. 1. h. t. Quare in eodem c. 1. h. t. translatio facta a Patriarcha Antiocheno reprobatur etiam ex eo quod a superiori ad inferiorem sedem facta fuerit. Et ratio est ne videatur quis inferiorem sedem concupiscere vel avaritiæ intuitu, quia fructus majores sperantur in minori, vel ob desidiam ad fugiendum laborem majoris Ecclesiæ. Hinc si detur rescriptum ut quis, propria relicta ad aliam transferatur ecclesiam, de transitu ad majorem et non ad æqualem est intelligendum. Si ad æqualem, translatio fieri non potest ad minorem. Major enim ordinarie non præsumitur minorari. Extraordinarie autem fit cum, legitima concurrente ratione, et præsertim necessitate, quis ad æqualem vel minorem sedem transfertur. Exemplum habemus in *c. 9. de Renunc.* ex quo deprehendimus Archiepiscopum Ragusin. ob mortis periculum ex insidiis absolutum fuisse a vinculo ecclesiæ suæ, et assecutum fuisse beneficium in Ecclesia quadam Episcopatus Carleoli, in qua absque usu pallii, auctoritate Pontificis exercebat jura et officia episcopalia, et habitus est ceu Episcopus suffraganus Archiepiscopi Eboracensis.

10. De effectibus translationis. — Quemadmodum diximus, translatio est actus complexivus, qui terminum a quo et terminum ad quem comprehendit. Ideo effectus est duplex termino duplici respondens. Privatur nempe Episcopus juribus omnibus sive quoad jurisdictionem spiritualem, sive quoad fructus et proventus prioris Ecclesiæ, et acquirit jura omnia episcopalia et fructus alterius Ecclesiæ ad quam assumitur. Solvitur enim vinculum spirituale cum prima Ecclesia et contrahitur cum nova. Si quærat autem quandonam censeatur prius vinculum absolvi, novumque contrahi, atque effectus translationis incipere, dicendum est ab ipsius translationis in Consistorio publicatione per Pontificem facta, ita ut fructus prioris Ecclesiæ percipere possit Episcopus usque ad illum diem, ac restituere teneatur si quos inde perceperit. Hinc Episcopus statim ac acceperit notitiam peractæ hujus publicationis etiam ex testimonio secretarii sacri Collegii Cardinalium, debet abstinere ab exercitio suæ jurisdictionis, et sedes illico incipit vacare, licet nondum fuerint expeditæ litteræ apostolicæ, et non fuerit accepta

pacifica possessio alterius Ecclesiæ. Ex decreto Urbani VIII. diei 20. Martii 1625.

De hac re agit Benedictus XIV. Synod. Diœces. Lib. 13. c. 16. num. 7. et seqq.

TITULUS VIII.

De auctoritate et usu Pallii.

1. Quoniam Pallium est signum distinctivum significans potestatem supra-episcopalem, hinc postquam actum est de modis quibus aliquis constituitur vel Episcopus vel Archiepiscopus vel Primas vel Patriarcha merito B. Raymundus tractat de auctoritate et usu hujus sacri ornamenti ecclesiastici. Pallium in sua materia consideratum nil aliud est quam fascia seu zona quædam lanea albi coloris quatuor crucibus vel nigris vel rubris decorata, quæ circumvolvitur humeris et pectori, cujus extrema aliquantulum defluunt. Diximus crucibus nigri vel rubri coloris; nam ante sæc. XIII. in Ecclesia Latina adhibebantur rubri coloris, nunc autem nigri coloris cruces adhibentur; in Ecclesia autem Græca prius rubri coloris adhibebantur cruces, nunc autem Pallio Græcorum seu Homophorio inseruntur cruces purpureæ contextæ auro. Pallium habitum est et habetur in Ecclesia ceu signum ecclesiasticæ jurisdictionis, et hoc sub aspectu definiri potest ut sit: 'principale ornamentum ecclesiasticum de Corpore B. Petri desumptum a Rom. Pontifice Archiepiscopis et superioribus Dignitatibus concessum exprimens potestatem supra-episcopalem'. Cum hujusmodi ornamentum etiam antiquis temporibus adhibitum fuisse habeamus, hinc Doctores pro genuino conceptu hujus ornamenti determinando quoad ejusdem significationem pervestigant originem ejusdem. Quædam et nos de ea breviter dicimus.

2. Est aliquorum opinio Pallium esse vestem sacerdotalem inductam ab Ecclesia ad imitationem Ephod et Rationalis, quæ ornamenta a summo sacerdote adhibebantur in V. T. Verum hæc opinio non placet; nam 1º. Ephod et Rationale Judæorum prout a rerum judaicarum peritis exhibetur, non referunt figuram Pallii ecclesiastici; et 2º. in Rationali quod ad pectus summi sacerdotis appositum erat, duodecim gemmæ habebantur, in quibus insculpta erant nomina duodecim tribuum populi judaici; pariter Ephod quod in utroque onyche, quo humeros ornabat, referebat nomina

duodecim tribuum; hæc autem inscriptio significabat summum sacerdotem habendum esse ceu mediatorem inter Deum et populum judaicum. Jamvero Pallium ecclesiasticum assumptum est ceu signum jurisdictionis, non autem ceu signum mediationis inter Deum et populum. Quod confirmatur ex eo quod si esset signum mediationis in Ecclesia, vel Pallium esset solummodo a summo Pontifice gestandum, vel simul ab omnibus etiam Episcopis; non enim minus sunt mediatores inter Deum et homines Episcopi ac sunt Archiepiscopi, Primates, Patriarchæ. Igitur qui notionem Pallii tradunt in similitudinem Ephod vel Rationalis non exhibent notionem geneticam seu originis, sed solummodo hæc opinio assumi potest in sensu eorum qui supposita existentia vestium sacrarum in Ecclesia, easdem vestes et earum usum intendunt explicare in similitudinem indumentorum sacrorum Veteris Testamenti.

3. Aliorum opinio est Pallium civilem habere originem et fuisse distinctivum honoris concessum Archiepiscopis ab Imperatoribus; et afferunt documentum ex quo eruitur, Constantinum Magnum donasse Silvestro Rom. Pontifici superhumerali, seu Lorum quo Imperator ipse decorabatur. Verum neque hæc opinio acceptari potest. Primo enim hoc documentum non est antiquius Sæc. IX. et per consequens ceu suppositum non probat existentiam factæ donationis superhumeralis a Constantino. 2º. sed etiam adest ratio juridica quæ hanc opinionem excludit. Etenim Pallium etiam in antiquitate habitum est tanquam signum jurisdictionis ecclesiasticæ. Hinc auctores etiam contrariæ sententiæ, uti Berardus tom. 1. sui operis Commentar. in Jus Ecclesiast. univers. testantur temporibus RR. Pontificum Vigili et Gregorii Magni Pallium fuisse concessum Vicariis Romani Pontificis in signum vigilantiae quam supra Episcopos vice Pontificis exercere debebant. Jamvero Ecclesia in signum jurisdictionis ecclesiasticæ profecto nunquam sumpsisset ornamentum civile, idest ornamentum imperiale, ne videretur potestas supra-episcopalis originem civilem habere, et ab Imperatoribus derivare, præsertim cum jam a temporibus Imp. Constantini Hosius Cordubensis Episcopus alique Ss. Patres conclamaverint ac tantopere adlaboraverint ne confunderetur potestas Ecclesiæ cum potestate imperiali, ne Princeps laicus, ut ait Hosius, ad se pertraheret ea quæ ad Ecclesiæ potestatem pertinent, scribens 'Tibi Deus imperium dedit, nobis autem ecclesiastica concredidit'. Hinc origo civilis excludenda est a Pallio.